

gostratus siue de alta platea Dominicanus, & hi  
dum nimis adulantur Pontifici & Romanae Curiae,  
quam non posse errare scribunt, & Pontificem  
omni Concilio maiorem predicant, deridendos  
potius se & suos conatus praebent, quam approban-  
dos. Leo quoque decimus citat Lutherum, ut Ro-  
mam veniat, unde redire ei in Germaniam non  
licuisset, iuxta illud, quod Rudolphus Imperator  
ex Apologo allegare solitus fuit: Video ingrediētia  
vestigia multa, sed egredientia video nulla. Con-  
clusionem enim omni fidei praefereunt hanc: He-  
reticis fidem seruandam non esse, & hereticos esse  
eos, qui vel in minimo reprehendant errores & vi-  
tia Pontificiae cohortis, & hereticis optime consuli  
non disputatione, & rerum, quas afferunt, consi-  
deratione, sed depositione, sine fune & igne. Luthe-  
rus autem, intercedente ad Leonem Academia  
Vuitebergica, se in Germania alicubi audiri pe-  
tit. Cumque Maximilianus Imperator anno 1518.  
indiceret conuentum Augustae Vindelicorum, ubi  
Principes Electores omnes adsuerunt, & eò mitte-  
retur Cardinalis Thomas Caietanus, qui thesau-  
ros Ecclesiae, Pontificis nomine, in bellum Turci-  
cum polliceretur, Fridericus Elector sapiens agit  
cum Caietano, ut Lutherus necessitate proficif-  
cendi Romam solutus, Augustam exocetur, cau-  
sam coram Caietano dicturus. Venit ergo Lu-  
therus 8. die Octobris Augustam pedes, vix te-  
nui viatico instructus, & indutus cucullo sibi ac-  
commoda-